

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 10 (Solet
tenere principium a virtute...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 10 (Solet
tenere principium a virtute...)*

1248

Solet tenere precipium a virtute fidelis amicitie regula, que duos homines humane caritatis vinculo nexuisset, quod alter alterius honora pateretur et accidens utriusque fortune pari participio sordentes ad invicem sibi prodessent in prosperis nec deessent ullatenus in adversis. Ideoque, si miror non modicum, non est mirum nec indigne vehementer indignor, quod, quem mecum in unum stare et edere confidebam quem non reputabam alium a me ipso, in quem ut in solida petra fundaveram firmamentum spei mee in hac tempestate fortune vel infortunii potius, mihi tam subito defuisti nullam indigende mee porrigens opum opem, verum de meis rebus, que penes te consistunt, avare contrahis stricta manu, qui de propriis bonis tuis extensam large dextram in me debueras aperire. Ha Deus, si vitis, quam ita plantavi et colui diligenter, facta iam sterilis negaverit fructum suum, quomodo mihi se fertilem obtulerit aliena? O felices, quibus amici non desunt et respondent fideliter in necessitatibus invocati. Credis, ut credo, verumtamen, quod ille, qui cecidit, non resurgat. At huius fiducie dolus inanis sedebit forsitan et vacuus. Nesciens enim Fortuna fixis herere rotis ex sui natura regressum habet et illum, quem deorsum posuit, sursum forte reportat et rursus euindem in solido relocabit. Resipisce igitur, resipisce tuum in hac parte revocans animum ab errore mea mihi saltem non abneges bona, sed eorum mihi fercula grata ministres, ne possis futuro tempore de dolo vel negligentia penitere.